Cum oraculum vatis diuinitus inſpirati vt laudare Dominum in Sanctis eius atque in virtutibus eius merito debeat humana propago, adhortetur, quandoquidem holocauſta laudis bono animo emiſſa aditus quodammodo ſit, quo ſibi vnigenitus filius oſtendatur filius Dei qui paſſim in Diuinis lineis aut ſalutare Dei dicitur, eo quod ſaluos faciat ſuos, aut brachium ſiue dextra. *Cætera deſiderantur in Codice MS. quo vſus ſum.*

DE MONASTERII MALLEACENSIS DEVASTATIONE FACTA A GAVFRIDO DE LEZINIACO Narratio.

Auctore eiuſdem loci Monacho Anonymo.

ANno Incarnationis Dominicæ milleſimo ducenteſimo vigeſimo quinto, ſedi Apoſtolicæ præſidente Papa Honorio: ac illuſtri Rege Ludouico inclytæ recordationis Philippi Regis filio, regni Francorum tunc temporis gubernacula obtinente: Henrico etenim viro religioſiſſimo & ſummæ Trinitatis cultore deuotiſſimo in Anglia regni Monarchiam gubernante, necnon Willelmo Pictauienſis ſedis Pontifice ac Sanctonicæ Eccleſiæ Helia viro venerabili præſidente, nobiliſſimóque Comite Marchione Hugone de Leziniaco Hugonis Bruni filio: verum etiã quod non eſt reticendum, venerabili Patre ac miræ prudentiæ viro nobili Vvillelmo Forti huius Monaſterij Abbate, atque vt ita loquar, nobiliſſimo defenſore, Eccleſia Malleacenſis grauem paſſa eſt ruinam atque multiplex detrimentum. Horum ergo dictorum temporibus & eo multo amplius dicta noſtra mater Malleacenſis Eccleſia diu iniquorum malleis fuerat malleata ac cuiuſdam nobilis Gaufredi de Leziniaco patre Gaufredo de Lezignem & Vvillelmi de Valentia manu potenti & violenta fuerat aggrauata: quod etiam quandocumque diuertiſſent ad Eccleſiam memoratam prædictus & ſui cum canibus, equitibus, mulis, auibus, ſatellitibus, acſeruientibus vniuerſis quoſcumque de quacumque parte adduceret, vel etiam ſine ipſo omnes ipſius domeſtici ac quicumque de familia eius quoquo nomine cenſebantur in procuratione continua à prædicta Eccleſia prouidere atque ſibi debere neceſſaria miniſtrari dicebãt ex conſuetudine diuturna, ſicut in compoſitione facta inter Gaufredum filium dicti nobilis & Eccleſiam melius ac plenius eſt expreſſum. Mortuo igitur ſæpefato nobili ſeniore Gaufredo ſucceſſit in hereditate paterna filius ſuus Gaufredus de Lezignẽ iunior ſæpe fatus, & quemadmodum pater ſuus rerum Eccleſiæ infeliciſſimus extiterat deuaſtator, ita & filius in malis patris ſequens veſtigia ſubſtantiæ ac rerum Eccleſiæ iniquiſſimus extitit perſequutor. Multis igitur annorũ curriculis dicta Eccleſia attrita fuerat atque iam corruerat ante faciem perſequentis, cùm inſpirante bonorum omniũ conditore, Vvillelmus Fortis ſuperius memoratus tunc temporis Prior de Xanctonio ab omnibus Fratribus inſpiratione diuina electus eſt prædictæ Eccleſiæ in Abbatem. Electione autem ipſius ab Epiſcopo Dioceſano, vt decuit confirmata, adminiſtrationi Eccleſiæ curam exhibuit vigilantem, multa pro libertate Eccleſiæ confouenda pericula ſuſtinens & aduerſa, murum ſe defenſionis contra inimicos opponens: nulla aſpera ac dura perpeti formidauit, vt ſtatum Monaſterij, cuius regimen acceperat, ereptum de manibus iniquorum ſecundùm priuilegia fundatorum, qui ipſum liberaliter ac ſine aliquo ſubjectionis vel exactionis retinaculo fundauerant poſſet, vt dictum eſt, in melius reformare, illud Euangelicum non ignorans: Beati qui perſecutionẽ propter iuſtitiam patiuntur. Vſus vtique prudentium virorum conſilio illã Salomonis ſequens ſententiã, vbi dicitur, omnia fac cum conſilio & poſt factum non poteris pœnitere. Prudenti igitur ac robuſto conſilio confirmatus contra perſequutorem Malleacenſis Eccleſiæ ac inuaſorẽ domus Dei Gaufredum de Leziniaco iuſtitiæ frœna laxans ipſum fecit diligenter moneri, & ipſe perſonaliter monuit, vt ab infeſtatione Malleacenſis Eccleſiæ & moleſtatione indebita quã ipſam diu moleſtauerat, manum retraheret vio-

lentam. Dictus autem nobilis quasi pro nihilo reputans monitionem Abbatis superius nominati sæuijt crudelius in rebus & membris Monasterij & homines eorum grauibus affecit dispendiis & injuriis prouocauit. Quod dolens grauiter Abbas superius memoratus coram Honorio sedis Apostolicę summo Pontifice querimoniam detulit ad Romanam curiam personaliter accedendo. Personaliter itaque constitutus coram summo Pontifice omnem exactionis atque subjectionis totiusque rei gestæ ordinem, pro qua venerat, enarrauit, & qualiter dicta Ecclesia fundata fuerat & à quo patrono prætendens manu propria priuilegium fundatoris, in quo priuilegio inter cætera habebatur, quod prędictum Monasterium pertinebat ad Romanam curiá, nullo alio mediante. Qui summus Pontifex talia vt audiuit continuò Abbati, qui tunc præerat Monasterio S. Ioannis Angeliacensis, Priori eiusdem loci dedit in mandatis & venerabili Aimerico cognomento Tabater, qui tunc Alnisiensis Archidiaconus habebatur quòd ipsum compellerent ad hoc, iustitia mediante. Receptis ergo litteris commissoriis Iudices memorati in omnibus iuris ordine obseruato prędictum nobilem potestate sibi tradita compellere studuerunt, vt de damnis & illatis iniuriis Ecclesiæ Malleacensis Monachis eiusdem Ecclesiæ ac hominibus eorundem satisfaceret competenter, & ab indebita molestatione dictæ Ecclesię & hominum quâ ipsos diu molestauerat, resiliret, ac de cætero talia præsumere non auderet. Dictus autem Nobilis prohibitionem siue monitionem summi Pontificis & suorum iudicum vilipendens damna intulit prędicto Monasterio rebus & hominibus dictisque Monachis plurima ac etiam grauiora. Nam Abbatiam postea per vim intrauit pluries & immunitatem Ecclesiæ violans bona & substantiam Monachorum tam in capite quàm in membris, Dei timore postposito, vsque ad enormem læsionem sicut in relatione facta ad Dominum Papam à dictis Iudicibus de prædicto negotio melius ac plenius est expensum. Talia enim contingentibus Ecclesię Malleacensi duriora & eò amplius grauiora pressuris vndique venientibus ac angustiis crescentibus contigit simile quod legitur in Canticis Canticorum: Sponsa Christi Malleacensis Ecclesia sponsum Christum id est refugium singulare quærens in nocte, id est in diebus aduersitatis per vicos & plateas, inuenerunt eam custodes ciuitatis, percusserunt & vulnerauerunt eam, & ad vltimum eius pallium detulerunt. Custodibus etenim superuenientibus, id est mortis doloribus, tulerunt pallium sponsę Christi Malleacensi Ecclesiæ scilicet dominum Willelmum Fortem Abbatem Monasterij antedicti. Qui verè pallium erat ac tegumentum ipsius, quia in quantum poterat, quamdiu vixerat, illud protexerat ab incursibus iniquorum. Tanto igitur Malleacensis Ecclesia Pastoris solatio destituta filij Ecclesiæ dolentes de morte Patris vltra modum & merito quia illis superauerant angustiæ vndique scilicet & matris Ecclesiæ persecutione continua & de pio Patris obitu repentino. Conuenerunt itaque mœrẽtes & dolentes filij vniuersi, vt corpus tanti patroni sepulturæ honorificè traderetur & de substituendo Pastore tractatus inter ipsos communiter haberetur. Multi enim vicini & probi homines ad tumulandum dictum Patrem conuenerant. Arnaudus scilicet tunc temporis Abbas Sancti Leodegarij, & quidam vir religiosissimus Prior Claustralis de Thalemundo, & plures alij Presbyteri Laici & Clerici seculares, vt filios tanto orbatos Pastore consolaretur, &, vt dictum est, corpus exanime traderetur honorificentissimæ sepulturæ. Congregatis igitur vniuersis & domesticis & extraneis intra muros Malliacensis Ecclesiæ, contigit illud simile quod legitur filijs Israël in Ierusalem priscis temporibus euenisse. Conuenerant enim ex totâ Iudæâ magni & parui, pauperes ac potentes, omnisque populus vtriusque sexus à maximo vsque ad minimum quasi vir vnus in ciuitate præfata fuerant congregati, cum Romani Imperatores Titus, scilicet & Vespasianus, cum exercitu infinito vallauerunt vndique ciuitatem atque obsederunt in ea populum memoratum, multisque illum injuriis & angustijs, sicut legitur, afflixerunt. Similiter etiam contigit in hac parte. Etenim congregato vniuerso cœtu filiorum Malleacensis Ecclesię Gaufredus de Lezignem iustitię persequutor ac domus Dei iniquissimus deuastator ac inuasor, infinito exercitu congregato peruenit vsque ad Monasterium memoratum, adduxítque secum innumeram multitudinem gentium cum armis Militum scilicet & seruientium, & quod graue fuit infinitam multitudinem rusticorum. Obsesso igitur ac vallato vndique Monasterio sæpefato minister Satanæ ante dictus dæmoniaco afflatus spiritu atque in bonis Ecclesię vltra quam exprimere valeamus, ferociter debacchando, Monachos obsessos in Monasterio attriuit in con-

tumeliam Domini ac totius cleri opprobrium, famæ & inedia diuturna. Interea toto Eccleſiæ ſæpefatæ conuentu in vnum congregato, tractatus communis cœpit haberi, quis inter ipſos ad regimen ſuæ matris Eccleſiæ idonior haberetur. His itaque contingentibus atque diuerſis diuerſa ſentientibus, non poterant in vnam perſonam communiter conſentire. Sed quid moror? Tandem inſpirante bonorum omnium conditore, omnes in Capitulo congregati inſpiratione diuina Rainaldũ Venerabilem Priorem tunc temporis de Hermenaldo vna voce vnanimiter elegerunt. Electione autem ipſius, vt dictum eſt, diuinitus celebrata, atque ipſo ab omnibus in ſua ſede honorificè deportato ſiue collocato vltra modum gaudentes de tanto Paſtore ſibi diuinitus collato, illud illis contigit quod legitur: Cithara ipſorum in luctum conuerſa eſt & organum ipſorum in vocem flentium vertebatur: Et alibi dicitur per Prophetam: dies feſti noſtri conuertentur in luctum. Propter hoc etenim iſtud dico, quia his ita contingentibus miniſter Satanæ, ac Dei Eccleſiæ infeliciſſimus perſequutor, tyrannico ſpiritu debriatus trahitur miſer in profundum malorum, traditur infelix tyrannidi vitiorum, ita vt carnalium voragine deſideriorum abſorptus, ſuæ rationis diuinique timoris oblitus, iam dixerat in corde ſuo inſipiens, non eſt Deus. Inflammatus itaque omni nequitiâ atque veneno totius malitiæ delibutus omnibus Monachis dictæ Eccleſiæ minabatur, ac ſuis iuſſerat ſatellitibus vniuerſis, vt ſi quempiam poſſent inuenire de Monachis memoratis, vniuerſi capitali ſententiæ ſubderentur. Quod audientes & timentes dicti Monachi vehementer, quærebant conſilium nec poterant inuenire, & quid agerent neſciebant. Diuerſi etenim diuerſa conſilia proponebant; ſed inter vniuerſos non potuit haberi ſtabile cuiuſlibet conſilium ſingulare. Nam intererat inter ipſos vna cum electo venerabili antedicto Arnaudus Abbas S. Leodegarij ſuprafatus, qui vt erant conſtanti animo & contra inimicos ſuæ matris Eccleſię ſereniſſimi bellatores, tale ambo voce vnanimi conſilium protulerunt. Dicebant etenim quod quilibet in ſuo ordine ſacris induti veſtibus, Preſbyteri Sacerdotalibus atque Diaconi & Subdiaconi & ceteri vniuerſi, prout illorum officium exigebat, induerentur omnes ſalutaribus veſtimentis, ac ſi incontinenti eſſet ad altare in ſuo ordine ſeruiturus, quatenus ſi neceſſe eſſet, poſſent offerre Domino laudis ſacrificiũ ſemetipſos. Et vt minus formidarent ſuos aduerſarios Crucẽ Dominicã præferentes atq; Sanctorũ venerãdas reliquias habebant, & quibus dicta Eccleſia optimè eſſe dignoſcitur decorata, magna cum reuerentia & honore in ſuis manibus geſtientes, ſicque vexillo Domini atque ſuorum militum circumfulti ſuis virili animo exirent inimicis. Et ſic inde ſi poſſet fieri tranſito gladio iniquorũ ſuæ dulciſſimæ matris Eccleſiæ cum dolore vltra relinquentes, quocumque Dominus eos perduceret, irent vagi famelici atque nudi, & à ſuæ matris finibus exulati. Sed quia quædã pars ipſorum erat fragilium vt pote iuuenum, ſuis valdè timentes pellibus non bene capiebat huiuſmodi conſilium apud ipſos. Itaque omni conſilio atque ſuffragio deſtituti ad ſingulare refugium IESVM-CHRISTVM, & pijſſimum Dominum conuertuntur, vnanimiter exorantes, vt illis in tanto periculo conſtitutis ſua pietate & miſericordia manum porrigeret adjutricem. Talia igitur orantibus S. Spiritus conſilio confirmati & verbũ Apoſtoli inſequentes quod dicitur, Tempus redimendum eſſe, quoniã dies mali ſunt. Itaque cum maxillis accipientes frænum, & corda in periculo deponentes, quoſdam de Militibus dicti aduerſarij, qui ſe amicos dicti Monaſterij aſſerebant, ad ſe introduxerunt eoſdem verbis pacificis taliter alloquentes: Quare dominus noſter Gaufredus de Liziniaco tanta grauamina nobis infert, & quare in noſtro Monaſterio nos obſedit? Qui dicti Milites reſponderunt: Propter hoc, quòd ad querelam veſtram dictus nobilis excommunicationis vinculo eſt adſtrictus, cetera ipſius ſuppoſita interdicto, & exinde eductum Corpus Chriſti. Sed ſi velletis ſuper hoc ſibi abſolutionis beneficio ſubuenire, ceſſaret, ſicut credimus ab tam infandiſſimo opere quod incœpit, & inter vos & ipſum de cætero gratia, amicitia, ac beneuolentia permaneret. Finxerunt & promiſerunt quòd ipſi facerẽt eum abſolui. Dicti autem Milites promiſſionem huiuſmodi & ſponſionem factam à Monachis quàm cito curſu ſuo domino intimarunt. Nobilis etenim ſępefatus vt pote quidã Pharao Rex Ægypti cor gerens ferreum ac in indurata animi malitia perſeuerans talia Militibus fertur dediſſe reſponſa: Niſi vniuerſi Monachi iſtius Eccleſiæ in capitulo congregati & probiores eorum ſponſionem illã ſiue promiſſionẽ vallauerint juramento, atq; promiſerint bona fide, non recedã inde quoadufq; vniuerſi capitali ſententia puniantur, aut aliis eos pœnis faciam interire.

Adjungens:

Adjungens: Hæc omnia Monachis intimetis. Milites verò ſæpefati, vniuerſa prædictis Monachis retulerunt. At illi vſi conſilio ſaniori, volentes indemnitati ſuæ matris Eccleſiæ prouidere, ſicut inferiùs apparebit, provt à prædicto Nobili fuerat præloquutum, in ipſius præſentia & multorum vallata fuerunt omnia iuramento: atque à probioribus Monachis, qui tunc erant, in Eccleſia memorata promiſſa fuerunt hæc omnia memorata. Deluſus itaque huiuſmodi iuramento Nobilis ſæpè fatus, quod ſibi pro euitando mortis periculo præſtitum fuerat à prædictis, præcepit omnes incontinenti ab obſidione recedere feſtinanter. Qui vniuerſi ac ſinguli quantocumque virium conamine poterant, receſſerunt turpiter ac confusè, quibuſdam titubantibus, quibuſdam verò cadentibus, ac miſerabiliter recedentibus; diuina potentia ſuum auxilium atque conſilium ita retraxerat ab iiſdem, quòd alter non poterat iuuare alterum, & ſocius in illo receſſu deſpiciebat ſocium, ſicut domeſticus ſolet deſpicere alienum; & à quibuſdam de Monachis & famulis eorumdem, vt pecudes vel bruta animalia per deuia quæque, caueas & foſſata turpiter ducerentur, donec Malleacenſem inſulam plurimis affecti iniuriis tranſegiſſent. Sed ſtylum ducamus ad memoriam retorquendum. Recedentibus ergo iniquitatis atque perditionis filiis, & caput ſimiliter receſſit eorumdem. Dignum enim erat atque conueniens habebatur, vt qui ſimul ſanctam Eccleſiam aggreſſi fuerant, ſtirpitus & iniquè, ſimul ab ipſius conſpectibus fugarentur miſerabiliter & confusè. Iuſto etenim Dei iudicio perſequutoribus effugatis atque Monachis cum ſuo venerabili Electo in pace ad tempus remanentibus, vehementer erant ſolliciti, atque, inquantum poterant, cum Domini adjutorio laborabant, vt hoc quod inter ipſos Spiritus Sanctus fuerat operatus, ſcilicet de electione ſui patroni quàm citiùs poſſent, perducerent ad effectum. Sanè cum venerabili Electo ſupradicto probior & ſanior pars Monachorum iter arripiunt, atque perueniunt vſque ad Pictauenſem Eccleſiam, quam tunc temporis bonæ memoriæ Philippus Epiſcopus gubernabat, omnémque rei ordinem in ipſius præſentia, pro qua venerant, enarrantes voto ac petitioni ipſorum ipſe Pontifex alludens, & liberaliter quæ poſtulabant ex ſuſcepto officio annuens Electum prædictum confirmauit liberaliter & benignè. Confirmatione autem eiuſmodi ſolemniter, ac provt decuit, celebratâ, Paſtor iam factus cum filiis gaudentibus ad propriam Eccleſiam cum gaudio remeauit. Deductis itaque alacriter ac cum ſpirituali gaudio peractis omnibus quæ circa nouitatem talium Prælatorum Eccleſia facere conſueuit, & ſuſcepto adminiſtrationis officio, Eccleſiam ſibi commiſſam ſolerti induſtriâ, atque totâ corporis & animi vigilantiâ ſtuduit in illo tempore, inquantum potuit, quamdiu licuit, gubernare. Sed dum hæc geruntur, non poſt ſuæ Miſſæ celebrationem iam penè elapſo triduo hoſtis humani generis atque peruigil inimicus, non ſine Chriſti tirocinio, etiam per tempus exiguum proſperitatis aliquot gaudia poſſidere, dictum aduerſarium excitans & incitans ad maleficia conſueta, contra venerabilem Abbatem & Monachos memoratos: dictus maleficus cepit denuò malè erigere verticem, dicens, niſi ipſum abſolui facerent, & in terra ſua excommunicationis ſententiam relaxari, quæ lata fuerat à Iudicibus eorumdem, ſicut illi promiſerant, & promiſſionem firmauerant iuramento, nullo modo poſſent manus ſuas euadere, quin eos morte crudeliſſimâ faceret interire. Dicebat præterea, & cum illo quidam fatuiſſimi & idiotæ ſimiliter aſſerebant, quòd niſi ipſum abſolui facerent, meritò puniendi erant tanquam perjuri, & ſuæ fidei tranſgreſſores. Sed certè valdè deſipiebant, qui taliter ſapiebant. Nam ſi dicatur ab aliquo quòd iuramentum quod præſtatur vi metúſve cauſâ, aut pro euitando mortis periculo teneri debeat: aut ſi quis in tali caſu mille præſtauerit iuramenta, mendax, aut ſuæ fidei tranſgreſſor dici debeat, aut perjurus. Reſpondeo, quòd nec etiam minimũ mendacium incurrit; immò qui talia dicunt, multis auctoritatibus conuinci poterunt noui ac veteris Teſtamenti. Audiant ergo iuris & iuſtitiæ peruerſores. In Geneſi etenim legitur quòd cùm filij Iſraël exire deberent de Ægypto, vaſa aurea atque argentea ab Ægyptiis quaſi reddituri mutuò acceperunt, & firmatâ promiſſione quòd illis redderent iam prædicta, ſecum omnia detulerunt: dicunt Sancti, quòd non mendacium, neque furtum aliquod incurrerunt: Dominus enim ſic eis præceperat, qui nouit quid vnumquemque pati oporteat: Illi ergo nulliùs mendacij argui potuerunt, ſed pręcepto Domini obſequium præbuerunt. Vt ergo Monachos antedictos meliùs liqueat non reos eſſe perjurij atque mendacij, audiant peſſimi definitionem mendacij detractores. Menda-

cium enim eſt falſa ſignificatio cum voluntate fallendi, quæ vel præſentialiter ineſt, vel poſtea aduenit. Ad opinionem enim talium confundendam, aliæ atque aliæ auctoritates etiam in medium adducantur. Legimus enim in Geneſi, quòd obſtetrices Hebræorum mentitæ ſunt Pharaoni, vt ſaluarent animas puerorum, & laudatæ ſunt, nec tamen mercedem aliquam propter hoc acceperunt, quia non affectum ſpiritualem, ſed carnalem in his potiùs habuerunt. Et in Codice eodem legitur, quòd Raab meretrix mentita eſt pro legatis Ioſue, atque ne occiderentur in domo ſua, provt meliùs ac cautiùs potuit, occultauit; vnde ciuis Ieruſalem poſtea meruit fieri, quam etiam poſtea Salmon Dux filiorum Iſraël ſibi matrimonialiter copulauit. Et etiam dicit beatiſſimus Auguſtinus: Qui ſic mentiuntur, aliquando merentur ab omni mendacio liberari. Sed qui poteſt? Quomodo autem ſi peccatum eſt, remuneratur? aut quomodo mentientes à peccato liberari merentur? Numquid peccatum diluit peccata? Non, ſed duæ rationes intelliguntur in his qui taliter mentiuntur: pius affectus ſcilicet, per quem aliquis inducitur ad ſic mentiendum, qui eſt laudabilis, & ipſum mendacium quod eſt reprehenſibile. Affectus ergo, non mendacium collaudatur. Tales ergo ab omni mendacio merentur aliquoties liberari, non per mendacium, ſed per miſericordiæ affectum. Poteſt & aliud introduci: Legimus quòd Iacob volens fratris ſui Eſaü benedictionem ſubripere, dixit patri: Ego ſum primogenitus tuus Eſaü. Si autem iſtud fuit mendacium, quomodo mater quę eum ad hoc impulit, in Sancto Spiritu loquebatur? Dicit enim Scriptura, quòd non fuit mendacium, ſed myſterium. Eſt & alia ratio ad dictos Monachos à mendacio excuſandos. Legitur quòd cùm Abraham interrogaretur de Sara, vtrum vxor ſua eſſet, an non? reſpondit, Soror mea eſt. Dicitur quòd non mentitus eſt, quia ſoror ipſius, id eſt cognata illius erat. Quod etiam ſi iuraſſet, dicitur quòd non aliquod perjurium incurriſſet. Legimus etiam quia Paulus ad Corinthios dixerat ſe venturum, etſi non venit, non tamen propter hoc eſt mentitus, quia cor duplex non habuit, ſed ſemper vtiliter voluntatem retinuit veniendi. Latet etenim aliud argumentum. Si quis mihi gladium commendaret, & illi promitterem, vel iurarem me in determinata hora ſibi gladium redditurum: ille verò ſtatuto tempore furens gladium repeteret, volens ſeipſum aut alium occidere, quamuis ei furenti gladium non redderem, nunquam notam perjurij vel mendacij incurrerem, cùm nec cor duplificauerim, nec ipſam quam priùs habui, mutauerim voluntatem. Dicitur etenim & alibi, quòd quæ vi metúſve causâ geſta ſunt, carere debent robore firmitatis.

Sed hæc omnia memorata non attendens Nobilis ſępè fatus, tanquam leo rugiens qui circuit quærens quem deuoret, ita rugiens circumibat, ac vnà cum pluribus ſatellitibus quos habebat, qui Chriſti militum ſanguinem vehementiſſimè ſitiebant: per deuia quęque, plana, ac nemora illis mortis inſidias prętendebat; ſpecialiter Abbatem quærebat interficere, quia ſibi tanquam fatuo videbatur, quòd ſi illum poſſet perimere, omnes alij Monachi in omnibus eius voluntatibus obedirent. Sed Deus omnipotens, qui ſuos non deſerit in aduerſis, atque cæleſtis regni Clauiger noluerunt ſuam Eccleſiam à tali patrono ita ſubitò defraudari. Cùm autem audiuit huiuſcemodi dictus Abbas palàm & in aperto ſibi inſidias præparari, incontinenti, præceptum Dominicum adimpleuit, & ſuam, proh dolor! cum mœrore nimio & dolore ſponſam Eccleſiam derelinquens, fugiendo de ciuitate in ciuitatem, de loco ad locum, provt meliùs potuit, latitando, & ſuum aduerſarium fugiendo. Nunquam ex illa die ſuum intrauit Monaſterium, quouſque viriliter atque finaliter vniuerſo ſuo negotio cum Dei adjutorio adimpleto de exilio gaudens triumphum deportans victoriæ, ad propria remeauit. Sed illâ die quâ exiuit de ſuo Monaſterio exul, iuit vſque propè Benaïcum, ad quandam paruam Eccleſiam, quæ in honorem ſanctæ fundata eſſe dignoſcitur Katharinæ; ibique inuenit Alniſienſem Archidiaconum Iudicem ſuum ſuperiùs memoratum, cúmque totius aduerſitatis ſuæ ſeriem, atque obſidionis materiam, & iuramenti præſtiti rationem in ipſius præſentia enarraſſet; & ſi huiuſmodi iuramenti ratione adſtricti tenerentur, qui talia iurauerant Nobili ſupradicto plenariè quęſiuiſſet, timens valdè ſuorum conſcientiis filiorum qui iurauerant: ipſe enim nullum ſuper hoc fecerat iuramentũ, petebat inſtanter quòd abſolueretur Nobilis ſæpè fatus. Cùm hæc audiret Archidiaconus, accenſus iracundiâ vehementi: Non enim, ait, huic debet Eccleſia ſubuenire, à quo tam atrociter iniuriatur quotidiè, immò ipſum, vt compeſcatur ab hac ſtultitia, debet, inquantum poterit, ag-

grauare. Quapropter vestros quàm citò poteritis apud Santonas ad nos mittatis nuncios, vt ego interim consulam meos Collegas, vestrosq; Iudices, aliosque viros prouidos & discretos, quomodo contra dictum maleficum de vestro negotio sit agendum. Tunc cum suis recessit inde Abbas venerabilis, ac peruenit apud Maroantum, suum aduersarium fugiendo. Et inde suos transmittens nuncios ad suos Iudices sæpè fatos, provt inter ipsum & dictum Archidiaconum fuerat prolocutum, impetrauit quòd in tota terra prædicti Nobilis interdiceretur Ecclesiastica sepultura. Sed quid? Nec sic prædictus maleficus induci potuit vt rediret ad Dominum quem offenderat, & de salutis suæ dispendio quod incurrerat, cogitaret: immò potiùs quasi adductus in desperationis abyssum desæuiit crudeliùs in rebus & membris Ecclesiæ Abbatem & Monachos memoratos. Persequebatur enim eos inquantum poterat, eis mortis insidias, vt dictum est, prætendendo. Videns enim Abbas quòd securam habere non poterat apud Maraant diutiùs mansionem, per obscuras cuiusdam noctis latebras exinde cum suis fugiens, ibat per deuia mariscorum, aquosa palustrium quę-que pertransiens, periculosissimos fluctus & gurgites transeundo, necessitate compulsus nimiâ, ferè per noctem integram pernoctauit in quodam paupertimo molendino, ex quo surgens diluculò cum suo deuotissimo comitatu, multas pertransiens sibi insidias præparatas, ducem habens piissimum Saluatorem, peruenit vsque apud Niortum, ibique tanquam signifer belligerator Ecclesiæ, à Clericis & Laïcis ipsius castri honorabiliter est receptus. Contigit igitur quadam die, dum in castro prædicto Abbas venerabilis moraretur, vt apud sanctum Stephanum, domum suam scilicet quæ extra muros ipsius castri est posita, exiret pro quibusdam negotiis dirimendis. Factum est autem cùm per totum diem vsque ad decliuum illuc cum quibusdam de suis Monachis moraretur, peractis ibi quæ agenda erant illâ die, sole vergente ad occasum, suos, sicut erat piissimus voce blandâ rogauit socios, vt infra muros dicti castri vnà secum sese reciperẽt, ne à suis aduersariis possent aliquid mali pati. Sed in hoc quidam illorum, credo, suis peccatis exigentibus noluerunt eius sermonibus obedire. Vnde illis pessimè contigit: Non enim reliquit Dominus eiusmodi inobedientiam impunitam; sed sicut in Iob legitur, illis in illa nocte contigit quod à Patre venerabili verebatur. Nam ipse cum paucis de suis castrum ingreditur, aliis præter eius voluntatem in domo remanentibus antedicta, atque in ipsa nocte in stratis suis quiescentibus repentè cursu rabido inimici ipsorum & suæ matris Ecclesiæ cum armata violentia venientes, dictam domum cum impetu ferociissimo introgressi, quos in domo inuenerunt stirpitùs, de suis lectis excierunt. Vnus autem ex ipsis, dum tumultum intrantium ac sæuientium audiret, continuò saliens per fenestram, quæ sibi satis ad hoc competens videbatur, per virgulta, nemora & fossata peruenit vsque ad Separis fluuium, quod ex illa parte muros circuit dicti castri, atque ipsum fluuium transvadando euasit manus se persequentium in nomine IESV CHRISTI. Persequutores igitur qui remanserant, alios vinculis stirpitùs vincientes vsque ad Maireuent deduxerunt, illosq; illic tamdiù detinuerunt carceralibus vinculis mancipatos, donec pro redemptione illorum non modicum pecuniæ reciperent ab eisdem. Postmodùm contigit quod dissimulator mentis suæ, & artifex fraudulentus, suos extendens Christi militibus laqueos, vsquequaque sub pacis specie fraudulenta mandauit Abbati per suos nuncios, quòd veniret cum suis sociis apud Xanctonium secum personaliter loquuturus, atque de damnis & iniuriis ab illo sibi suisque & suo Monasterio irrogatis, emendam integraliter recepturus. O quanta virulentia fraudulenta! ô quanta versutia manifesta! Non veretur Christi miles satellitem Antichristi, immò vt expers fraudis atque nequitiæ, se cum suis credens huiusmodi seductori iuit Xantonium, inuenitque ibi tergiuersatorem atque maleficum prænotatum. Cúmque eum crederet per cordis compunctionem à IESV CHRISTO Domino visitatum, putarétque ab illo, sicut promiserat, sibi, suis, suæque Ecclesiæ satisfieri de commissis, nihil ex his quæ sperabat, obtinuit: immò totum reputans contrarium cum timore nimio, illuc, vnde venerat, remeauit. Videns verò, non dico Nobilis, immò detestabilis antedictus, quòd iam recessserant, & suas declinauerant insidias antedicti, vehementer condoluit, & accensus furore nimio, illis tale nomen imposuit, dicens eum multipliciter pœnitere, quòd taliter manus suas euaserint gobiones. Videns verò Abbas venerabilis, quòd tyrannus nullo modo suam ferocitatem deponeret, immo crudeliùs contra Monasterium & Monachos memo-

ratos quotidiè desæuiret, mala malis addendo, ac pro suis sceleribus cruciandus ædificans ad gehennam. Nam corpus ipsius Monasterij cum bonis omnibus quæ ibidem erant Deo seruientibus aggregata sub sua crudeli redigẽs potestate saisiri fecit per suos Præpositos & Bailliuos, ac etiam necessaria vniuersa Monachis ibidem commanentibus, & Deo seruientibus denegari. Saisiri fecit etiam multos alios pertinentes ad idem Monasterium Prioratus: Istos videlicet S. Petri Veteris Prioratum, Aquiticariam, atque Xantonium, Hermenaldum, Perusiam, S. Mauritium de Nois, atque Mosolium, & omnia bona Prioratuum quæ Monachorum erant vsibus deputata, fecit similiter dictus maleficus in suis suorúmque vsibus deputari. Cúmq; Christi milites tantas iniurias, contumelias, ac opprobria, quæ sibi à garcionibus dicti Malefici inferebantur quotidiè, ac angustias famis & inediæ non possent ampliùs sustinere venales pro Christo se omnibus periculis exhibentes, proh dolor! & lamentum permaximum! de Monasterio egressi primò terni, bini, & singuli, vagi, nudi, profugi atque famelici per vniuersum orbem cum dolore nimio exules abierunt: Pastor verò venerabilis antedictus cùm sic videret suum Monasterium destitutum, ac commissas sibi ouiculas per diuersa mundi spatia errabundas, vltrà quàm credi possit, condoluit, eligens magis mori, quàm vt gregem suum ita lupus rapax diutiùs inculcaret, boni Pastoris assumens speciem, qui relictis nonaginta nouem ouibus in deserto, abiit longiùs vnam quæ à grege dispersa fuerat, quæsiturus, & inuentam, suis eam humeris sacris imponens, ad gregem cum gaudio reportauit. Istum enim sequens per omnia Heros venerabilis antedictus, relictis omnibus, suum gregem & Monasterium, patriam & amicos, notos & proximos, totam progeniem & parentes, ex quibus nobilibus præclaram atque nobilem duxit originem, omnibúsq; facultatibus derelictis, cum dolore inæstimabili, atque cum exiguo & pauperrimo comitatu Romam petiit flens & ejulans, & Domini misericordiam die nocteq; deprecans, vt per intercessionem suæ Matris, atq; cælestis regni Clauicularij, sub quorum nomine & honore sua Ecclesia fundata fuerat, prosperitatis sibi & suis redderet gaudia; & oues quæ ita dispersæ erant, ad proprium ouile reduceret: quatenus omnes in vnum congregati possent voce iocundissimâ decantare Domino: Beati qui habitant in domo tua, Domine, te laudabunt in sæcula sæculorum.

Et factum est postquam in tantam captiuitatem Malleacenses Monachi deuenerunt, & ipsorum mater Ecclesia derelicta est & deserta, detestandus Dei & Ecclesiæ inimicus, ordine retrogrado & peruerso, in eadem Ecclesia supplere volens numerũ Monachorum, in eorum loco subrogauit ad diripienda bona Ecclesiæ, multitudinem garcionum. Ah! Malleacensis Ecclesia, quæ quondam sacrâ Religione inter cæteras Ecclesias præpollebas, quomodo vilis in illo tempore facta es & abjecta?

Patre venerabili per omnia memorando in Romana Curia personaliter constituto ore tenus & voce lacrymabili summo Pontifici suum & Ecclesiæ negotiũ pro quo venerat, enarrauit, & totaliter Deo & protectioni summi Pontificis se committens, suam omnem querimoniã deposuit coram ipso. Demùm Iudices Angeliacenses dicto sibi commisso negotio, quãtum in ipsis fuit, viriliter exequuto, cùm non possent ampliùs facere totum instructũ negotium, & qualiter ab eis processum fuerat in eodem, Domno GREGORIO summo Pontifici remiserunt. Videns verò GREGORIVS Pater sanctissimus dicti filij sui Abbatis videlicet sociorúmq; eius dolorem nimium, audiénsq; ex assertione Iudicum iam dictorum, Monasterium à malefico sæpè fato ita penitùs destitutum, sciénsq; ad Romanam Ecclesiam dictum Monasterium pertinere, nullo altero mediante, vehementer condoluit, statimque sententias latas contra eundem Nobilem à dictis Iudicibus ore proprio confirmauit: Deinde scribens Ludouico illustri Regi Franciæ, ipsum super hoc rogans, monens attentiùs, & exhortans, quatenus dictum maleficum compesceret, vt à grauamine dictæ Ecclesiæ quiesceret, & de damnis eidem illatis satisfaceret competenter. Postmodùm subsequenter scribens iterùm dicto Regi, quatenus dictum maleficum, vtpote excommunicatum vitaret, & à suis faceret subditis euitari. Deinde scripsit Hugoni nobili Comiti Marchiæ eodem modo quo Regi scripserat Ludouico; adjungens eidem, quòd si dictum maleficum non compelleret vt Ecclesiæ satisfaceret competenter, Abbati, & Priori S. Mariæ Dolensis, & Archipresbytero Castri-Radulphi dabat in mandatis, vt ad compulsionem istam faciendam dictum Comitem compellerent iustitiâ mediante. Per hæc etenim omnia nec dictus maleficus induci potuit, vt rediret ad Do-

minum quem offendebat, & de suæ salutis interitu, quem incurrerat, cogitare.

Sanctissimus autem & summus Pontifex GREGORIVS, vt vidit tantam in dicto misero & crudeli insolentiam & pertinaciam, & quòd fœdus cum animæ suæ dispendio ita inierat, alia remedia fortiora disposuit adhibere, cùm ferro sint abscindenda vulnera, quæ aliorum medicamentorum non sentiunt medicinam, ipsum ore proprio excommunicauit, & excommunicationem illam mandauit per Senonensem, Bituricensem, Turonensem, & Burdegalensem Prouincias singulis diebus Dominicis & festiuis, pulsatis campanis, candelis accensis; & in Synodis similiter publicè nuntiari, & ad quæcumque loca dictus miser veniret, cessari iussit penitùs à diuinis.

Nec plura de iis habëtur in ea parte MC. codicis, ex quibus controuersiæ finë discere possimus. Verùm pauca hæc leguntur aliâ manu, ac longè recentiore descripta, alióque prorsus spectãtia.

INDICTIO PROCESSIONVM GENERALIVM.

Iuxta & secundùm Christianissimi Principis & Domini nostri, D. CAROLI Francorum Regis exhortatorias litteras in suo Consilio maximâ deliberatione priùs consultas Reu. in Christo Patri & Domino, D. THEOBALDO, permissione diuinâ Malleacensi Episcopo, & eius Capitulo, cæterisq; DD. Pontificibus & Capitulis Ecclesiarum Cathedralium & Metropolitanarum Regni Francorum super hoc directas.

Die 12. mensis Augusti perpetuò fiant Generales Processiones, & Missæ solemnes deuotissimè celebrentur, diuinæ Majestati & pietati laudes & gratiarum actiones referantur pro felici Anglorum expulsione de toto Ducatu & Prouincia Normanniæ dudùm ac per annos triginta & vltrà ab ipsis Anglicis Regis & regni prædictorum inimicis inuasis & occupatis, ac ipsorum Ducatus ac Prouinciæ sub obedientia dicti Domini Regis reductione factâ & cõpletâ in redditione oppidi de Cherbourg, finalis & extremi locorum & fortaliciorum ibidem ab ipsis Anglicis occupatorum, sub eadem Regis obedientia restituti. Die 12. mensis Augusti, anno Dom. 1450. Iubileo glorioso.

Inprimis verò Decumani illius voluminis foliis, aliquot narratiunculis, quas mox adscribemus, subiungitur Gregorij IX. summi Pontificis Bulla de compositione litis ac controuersiæ suprà memoratæ inter Abbatem Malleacensem, & Gaufredum Leziniacensem.

GREGORII IX. PAPÆ BVLLA DE LITIS SVPRADICTÆ COMPOSITIONE.

GREGORIVS Episcopus seruus seruorum Dei, Dilectis filiis Abbati & Conuentui Monasterij Malleacensis, Pictauiensis diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Mœstorum consolator, ac nostræ salutis auctor Dominus, post fletum exultationem infundens, mortémq; peccatoris nolens, sed vitam; Nobili viro Gaufredo de Leziniaco, Pictauiensis diœcesis, super desolatione Monasterij Malleacensis, dignatus est tandem compunctionis spiritum inspirare, vt pacis & animæ suæ quærendo consilia de regione dissimilitudinis in quam abierat nuper, ad sedem Apostolicam personaliter laborarit, vbi tu, Fili Abbas, pro liberatione dicti Monasterij moram traxeras longiorem. Eo igitur absoluto ab excommunicationis sententia, quâ tenebatur obstrictus, post multiplices tractatus concordiæ, prosequente negotium gratiâ Saluatoris, demùm inter te, Fili Abbas, pro præfato Monasterio & membris ipsius, ex vna parte, & memoratum Nobilem pro se ac hæredibus & successoribus suis ex altera, compositio amicabilis interuenit, cuius tenor est talis.

Ego GAVFREDVS de Leziniaco, Dominus Voluenti & Maireuenti, Notum facio omnibus præsentes literas inspecturis, quòd cùm instigante humani generis inimico, graues iniurias & damna non modica Abbati & Conuentui Malleacensi, & eorum hominibus intulissem, propter quæ auctoritate Apostolicâ vinculo excommunicationis eram adstrictus, & terra mea interdicto supposita, tandem eo inspirante qui non vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat: Ego accensus desiderio reuertendi ad sinum sanctæ matris Ecclesiæ, Sedem Apostolicam personaliter adij, vbi me primitùs absoluto cum venerabili Renaldo Abbate prædicti Monasterij post tractatus multiplices composui in hunc modum. Diuinæ siquidem pietatis obtentu pro mea & meorũ salute concedo, remitto & quitto perpetuò pro me ac hęredibus & successoribus meis dicto Monasterio Malleacensi quidquid quocumq; nomine censeretur in eo, Prioratibus, membris, hominibus & pertinentiis eorumdem quocumq; modo, & quacumq; causâ, iustâ vel iniustâ me habere dicebã, vel dicere poteram, & specialiter procurationes quas deberi mihi dicebã & meis Prę-

positis, Falconariis, Venatoribus, seruientibus, ac cuilibet de familia mea quandocũque diuerteremus ad Monasteriũ memoratũ. Simili modo concedo, remitto, & quitto necessaria quæ dicebã equis, mulis, canibus, & auibus meis, ac eorũ custodibus in eodem Monasterio, seu membris ipsius perendinantibus ex cõsuetudine ministrari: necnon exactionem pecuniæ, quæ ab hominibus Monasterij, & Prioratuum, & aliorum locorum ipsius exigebatur annis singulis pro talleta; expeditionem quoque & exercitum, biannum, boquestallum, in quibus mihi teneri eosdem homines proponebam, pœnámq; cui dicti homines si contrauenire præsumerent, subjacebant. Sasinas quoque, auenagium, commenditias, passagium quod me & meos habere dicebam in Rotundæ & Pichouenæ portubus sine naulo, & quicquid ratione procurationis, questæ, consuetudinis, iurisdictionis, potestatis, vel alio quocumque iure tam pro me, quàm pro Præpositis, Venatoribus, Falconariis, seruientibus, & aliis hominibus, necnon equis, mulis, canibus & auibus meis de ipso Monasterio, Prioratibus, villis & locis, scilicet insulæ Malleacensis, Rotundæ, Talgonis, Santonij, Adenterij, Dicaij, Podii-Letardi, Taissonij, sancti Michaëlis clausi, Saluariaci, Capellæ-Beraudi, Mairuenti, Perusiæ, Grigum, Voluenti, Montis-Nobleti, S. Mauricij de Nois & pertinentium eius, Castanariæ, Basogiarum, Molleronis, Vergueïæ prope Molleronem, Hermenaldi, Perusiarum, Costigniaci, Basteriæ, Calueriæ, Bosselli, Mosolij, ac etiam pertinentiis per me ac prædecessores meos occupari & exigi consueuit, aut mihi, vel meis in ipsis vel eorum feodis, burgis, villis, portubus, mercatis, locis, hominibus, fermis, molendinis, aquis, nemoribus, pratis, & bonis aliis idem Monasterium contingentibus, vel ipsius pertinentias competere posset, concedo, quitto, similiter & remitto, exceptis octo solidis Turonensibus annui census, quos sine duplicatione, seu augmentatione in molẽdino Prioratus, molẽdini de Nois sito propè Boëriam percipio annuatim. Commenditias autem meas de Voluento, vel aliis locis in terra dicti Monasterij vel membrorum de cætero recipi non permittam, nec impediam, vel faciam impediri, quominus idem Monasterium cum membris & pertinentiis suis plenâ fruatur ac perpetuâ libertate. Prędictus verò Abbas pro se, ac procuratorio nomine Conuentus Monasterij sui remisit mihi & quittauit summam quatuor millium marcharum argenti, in quibus per venerabiles Patres N. Rothomagensem tunc Cenomanensem Episcopum, & N. Turonensem Archiepiscopos Iudices, Sedis Apostolicæ delegatos pro manifestis damnis & iniuriis sibi & suis à me & à meis illatis fueram Monasterio condemnatus ipsorum processu à Sede Apostolica super hoc approbato. Remisit quoque mihi & meis omnes iniurias, contumelias, & damna rerum mobilium quæ perpessa erant à me, vel ab aliis ex parte mea, ex quo fuit orta inter me & Monasterium discordia, vsque ad vigiliam sancti Ioannis Apostoli & Euangelistæ ante Portam Latinam, quâ iter arripui ad Sedem Apostolicam veniendi. Annuum insuper redditum centum librarum Turonensium mihi vel heredibus meis & successoribus ab instanti festo sancti Michâëlis per triennium apud Niolium, medietatem scilicet in festo Omnium Sanctorum, reliquam verò partem in festo Resurrectionis Dominicæ persoluet Monasterium: quem redditum in denariis & aliis prouentibus in certo vel certis locis ad arbitrium virorum discretorum, A... Abbatis S. Benedicti de Quinciaco, I... Prioris de Riauiuo, & P... Arberti Archidiaconi Thoarcensis, ita quòd decedente eorum aliquo, provt à partibus sunt electi, substituatur alius loco eius. Intra spatium triennij dictus Abbas assignare promisit ex parte ipsius & conuentus sui pœna promissa & concessa decem librarum Turonensium pro defectu cuiuslibet termini, si in hoc triennio defecerint in solutione pecuniæ prętaxatæ. Et si huiusmodi assignationem redditus centum librarum facere neglexerint, aut noluerint ad arbitrium prædictorum centum quinquaginta libras monetæ prędictæ, donec fiat talis assignatio in iam dictis terminis nomine sortis & pœnæ annuatim soluere tenebuntur. Pręterea per prędictos arbitros inquisitione pręhabitâ quantum partem Prioratus de Voluento habere in platea in qua ædificata est cohua mercati Voluenti, quidquid in ipsa cohua ędificiorum est in parte Prioratus ipsius remanere concedo ipsi Prioratui liberum & quietum, nec per me vel per alios inhibebo vel impediam, aut successores mei per se vel per alios inhibebunt vel impedient quin venditiones & emptiones in parte Prioratus eiusdem fiant liberè & quietè: Item non impediam, vel faciam impediri, quominùs homines vadant molere & coquere ad molendina & furnos prędicti Prioratus pro motu liberę

voluntatis. De via ad molendina iamdicti Prioratus inquisitione factâ per arbitros prænotatos, secundùm quod inuentum fuerit viam se habere ab antiquo fieri sine aliquo impedimento concedo. Ego verò pro me ac meis remitto Abbati & Conuentui supradictis, & omnibus Clericis & Laïcis de parte ipsorum omnem rancorem, maleuolentiam, & offensam, eos recipiendo in meam beneuolentiam & amorem. Quòd si fortè ego vel heredes, seu successores mei veniendo, quod absit, contra concessionem, remissionem & quittationem prædictas, damna, vel impedimenta sæpè fato Monasterio, Prioratibus, membris, vel hominibus eorumdem inferre præsumpserimus, & super hoc ex parte Monasterij moniti non satisfecerimus infra mensem, ex tunc ex iis in quadruplum satisfaciemus Monasterio memorato. De his autem omnibus quæ præmissa sunt, firmiter obseruandis, tactis sacrosanctis Euangeliis corporale præstiti iuramentum, obligando nihilominus ad obseruantiam prædictorum me, heredes, & successores meos, bona mea, heredum, & successorum meorum, & ad robur perpetuum præsentem chartam sigilli mei munimine roboraui, & hanc compositionem coram Domino Papa & Fratribus suis fieri quam gratam habens ac ratam ab ipso confirmari, ac in registro suo poni humiliter supplicaui. Actum Spoleti anno Do. MCCXXXII. Kal. Iulij, Pontificatus D. Gregorij IX. anno sexto. Quia verò & quæ iudicio vel concordiâ statuuntur, firma debent & illibata persistere; & ne in recidiuæ contentionis scrupulum relabantur, Apostolico præsidio communiri, nos compositionem prædictam in nostra & Fratrum nostrorum præsentia recitatam, & ab vtraque parte sponte receptam ipsius Nobilis supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolicâ confirmauimus, & præsentis scripti patrocinio communiuimus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Reate duodecimo Kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno sexto.

FRAGMENTA ALIQVOT HISTORICA IN EODEM CODICE DESCRIPTA.

Anno ab Incarnatione Domini Saluatoris nostri millesimo ducentesimo trigesimo sexto, inter Dominicæ Resurrectionis, & S. Ioannis Baptistæ solemnitates fuit occisio Iudæorum à Crucesignatis facta. Multi autem Crucesignati circa Niortum fuerunt de diuersis partibus congregati, vt Iudæos occiderent de Niorto. Sed eos habere non potuerunt, quia infra receptum Regis eiusdem castri inclusi munierunt se, & defenderunt cauentes suis pellibus, provt melius potuerunt. Considerantes autem illi Crucesignati quòd ipsos Iudæos habere non possent, apud S. Leodegarium venientes, consilium fecerunt in vnum quidam fatui ex iisdem vt ad Malleacensem insulam accederent, & si eandem possent insulam occupare, dictum est quòd suum receptaculum facerent in eadem, & exinde multa alia loca deuastarent. Quod cùm audisset Dominus Reginaldus tunc Abbas & Pastor diuinâ prouidẽtiâ Monasterij huius Malleacensis, misit ad illos Crucesignatos fatuos Fratrem Vvillelmum tunc Elemosynarium, & Fr. Radulfum Armarium Malleacensem, vt eos monerent compescendo eorum stultitiam & errorem: sed corda ipsorum adeò fuerunt obdurata, quòd non valuerunt munitionibus vel precibus cohiberi. Audiens autem Dominus venerabilis antedictus ita præfatos fatuos instigari ad malum, assumens eum Dei auxilio spiritum consilij fortitudinis, sicut benè solitus erat in aduersis, nunciauit tam militibus quàm seruientibus & amicis aliis de sua & de Fratrum aliquorum suorum parentela, & vniuersis hominibus de Hermenaldo, & de Peruciis, vt cum armis ad Malleacense Monasterium venirent, ad defendendam Ecclesiam Dei à persecutoribus supradictis, qui de mandato eiusdem benè præsentem insulam munierunt, & cætera.

Anno Domini MCCXXXIX. Vallensi Monasterio Pastoris solatio destituto, venerabilis Rainaldus Malleacensis Abbas ad ipsum Monasterium solemnes nuncios Monachos destinauit, videlicet Vvillelmum Priorem tunc temporis de Hermenaldo, & Radulfum Armarium Malleacensem, vbi in ipsorum præsentia Capitulum eiusdem Ecclesiæ cum assensu & voluntate dictorum nunciorum Fr. Fulcaudum tunc Priorem sancti Sulpitij, receptum in Malleacensi Capitulo in Monachum Malleacensem, & in Fratrem, elegerunt vnanimiter in Abbatem.

Anno MCCCXVII. in vigilia Assumptionis B. Mariæ Dominus Ioannes Papa XXII. in secundo anno Pontificatus sui Monasteria Malleacense & Lucionense erexit in Ecclesias Cathedrales, & Reuerendos Patres Fratres Gaufridum Ponerellum tunc Abbatem Malleacensem, & Petrum de Lauoyerie tunc Abbatem Lucionensem, primos Episcopos in dictis Ecclesiis, in Auenione, vbi tunc Romana Curia residebat, fecit per Reu. Patrem Dominum Berengarium de Biterris tunc Episcopum Ostiensem consecrari die Dominicâ ante festum B. Catharinæ, anno quo suprà. Et qui vidit, testimonium perhibuit, videlicet Frater Lucas de Marsayo, tunc Prior de Arduno, qui scripsit hæc.

Anno MCCCXXIX. fuit tanta aëris distemperies, quòd quolibet mense illius anni gelauit. Messes non fuerunt vsque ad Natiuitatem B. Mariæ: vindemiæ circa festum Omnium Sanctorum.

Anno sequenti fuit tanta aëris serenitas & amœnitas, quòd in Martio inueniebantur rosæ & botri in vineis, circa principium Madij guindola & ceraſa. Messes fuerunt in festo B. Ioannis, vindemiæ in Assumptione B. Mariæ Virginis, nec gelauit nisi modicum illo anno.

Anno MCCCXXXII. magna inundatio aquarum circa Natalem Domini, & magna aëris obscuritas in vigilia eiusdem Natalis.

Anno milleno C. ter, V, cum ter quoque deno
Præsulis in festo Thomæ lector memor esto
Quod fremitu celeri sentitur terra moueri.

Anno ab Incarnatione Domini trecentesimo quadragesimo sexto, quarto Nonas Octobris, fuit capta ciuitas Pictauiensis, & castrum de Lezigniaco die præcedenti, per Comitem Liscanstre locum-tenentem Regis Angliæ.

FINIS.